



Clypeus Theologiæ Thomisticæ

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

Tractatus de Sacramentis in genere, de Baptismo, de Confirmatione, de
Eucharistia, de Pœnitentia, de Extrema-Vnctione, de Ordine & de
Matrimonio

Gonet, Jean-Baptiste

Coloniae Agrippinae, 1671

Disp. X. De qualitate & integritate confessionis

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77185](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77185)

ditum à proprio Ordinario non approbatum, ut determinavit Congregatio Cardinalium, Concilii Tridentini interpretum, circa cap. 15. sessionis 23. Verba ejus sunt: S. D. N. audit & relatione Congregationis, declaravit Episcopum vigore privilegii de quo in cap. fin. de Penit. & Remiss. non posse sibi eligere Sacerdotem sibi non subditum, qui à proprio Ordinario non fuerit adhuc ad formam hujus decreti (Tridentini Concilii) admissus, seu approbatus, ad audiendas confessiones.

42. Inferes quinto, ad audiendas Confessiones Regularium, non esse necessarium habere Episcopi approbationem, quia Concilium limitat suum decretum ad eos qui audiunt Confessiones secularium, his verbis: Nullus etiam Regularis, possit confessiones secularium, etiam Sacerdotum, audire. Unde non tenentur Superiores Religionum, cum Confessarios assignant suis subditis, eos Episcopo præsentare, ut ab eo approbentur. Ex quo

43. Inferes sexto, quod quando Superior concedit subdito licentiam eligendi sibi Confessorem in itinere, potest sibi eligere quemcumque, etiam ab Ordinario non approbatum; nam hoc ipso quod licentia non limitatur, censetur concessa in sua amplitudine.

44. Inferes septimo, probabilius esse ad audiendas Confessiones non sufficere approbationem petitam ab Episcopo, & ab illo injustè negatam. Concilium enim requirit ut Confessarius sit approbatus, si beneficium parochiale non obtineat: non est autem approbatus, qui tantum petit & non obtinet approbationem, sive justè negetur, sive injustè. Neque obstant variae Pontificum Constitutiones, nempe Clementis V. Benedicti XI. & Leonis X. concedentium Fratribus mendicantibus licentiam audiendi Confessiones secularium, si Episcopus eam injustè ipsis denegaverit; his enim omnibus videtur Tridentinum derogare voluisse, hæc generali clausula, Privilegiis & consuetudine quacunque, etiam immemorabili, non obstantibus.

45. Dixi probabilius esse, quia opposita sententia non caret probabilitate, pluresque habet illustres patronos ac defensores, nempe Navarrum, Dianam, Rodriguem, Layman, Henriquem, qui ait illam communiter receptam esse à Doctoribus Salmanticensibus, & Complutensibus, fuisseque in Academia Parisiensi publicè propositam, & propugnatam; & ex Doctoribus Parisiensibus illam expressè docet Gamachæus Tract. de Penit. cap. 18. his verbis: Si tamen obtinere non potuerint Religiosi licentiam, & revera digni inventi fuerint, tunc temporis Summus Pontifex de plenitudine Apostolica potestatis, eandem facultatem simpliciter illis concedit: Atque omnes istæ Extravagantes in corpus juris communis relatae sunt, & multæ jam locis in praxim redactæ, neque à Concilio Tridentino mutatae aut revocate. Et fanè evidens non est, neque certum, voluisse Tridentinum derogare prædictis Pontificum Constitutionibus: Tum quia non est credibile, Concilium voluisse favere injustitiæ Prælatorum injustè approbationem Regularibus recusantium, & aliquorum odiis adversus illos. Tum etiam, quia ut ex Archidiano & Felino docet Navarrus in Summa cap. 27. ut Concilii generalis decreto censetur derogatum, requiritur expressa ejus derogatio, quia hujusmodi Concilii decretum, speciali honore & prærogativa dignum est, ita ut non veniat in generali revocatione intelligendum: Prædictæ vero Clementis V. & Leonis X. Constitutiones, in

A Conciliis generalibus Viennensi, & Lateranensi editæ sunt: Ergo illis non videtur Tridentinum derogare voluisse.

Quæres secundo, utrum ministrans Sacramentum cum jurisdictione tantum probabiliter, valide absolvat?

Respondeo validam esse absolutionem, Sacramentum ministrare in casu necessitatis. Licet enim in materia & forma Sacramentorum non liceat sequi opinionem probabiliorum, bene tamen in jurisdictione. Ratio est, quia in primo casu exponit quis se periculo faciendi Sacramentum invalidum, non autem in secundo; cum enim ministrans Sacramentorum, non dependat ab Ecclesia de consensu ejus, sed ab institutione Christi. Ecclesia non potest, etiam in casu necessitatis, defectum supplere: è contra vero, cum periculo ab Ecclesia pendeat, quando probabiliter existimans se habere jurisdictionem, quæ tamen de facto non habet, ministrans Sacramentum penitentiae in casu necessitatis, tunc Ecclesia censetur supplere jurisdictionem; ut constituitur Parocho, cujus acta omnia valida sunt, si communiter habeatur ut Parochus. Dixi, si ministrat Sacramentum in casu necessitatis, quia nunquam Ecclesia supplet jurisdictionem, nisi in necessitate.

DISPUTATIO X

De Qualitate & Integritate Confessionis.

Ad quæst. 9. Supplementum.

Celebris est hæc disputatio, in eamque dem plures agitari solent graves difficultates & controversiæ, sequentibus articulis discutiendæ & resolvendæ.

ARTICULUS PRIMUS.

An, & in quibus casibus, confessio posita esse informis, & tamen valida?

§. I.

Quibusdam præmissis referuntur sententiæ.

Notandum primò, hæc nos non loqui de deformitate quæ proveniat ex defectu formæ sacramentalis: Sed de ea quæ provenit ex defectu gratiæ, & remissionis peccatorum. Unde nomine Confessionis informis, sed tamen validæ, intelligimus eam quæ caret effectu ob quem fit videlicet gratiæ & peccatorum remissionis, per quam tamen conficitur verum poenitentia Sacramentum, adveniente formæ absolutionis. Ratio autem hujus denominationis est, quia cum ultima forma Sacramenti poenitentiae veluti extrinseca, sit gratia, quæ significatur & constituitur virtute ipsius, si detur Confessio sacramentalis, quæ non obstante suo valore cum forma absolutionis non producat gratiam, dicitur informis.

sicut è contra quando illam producit, vocatur A formata.

2. Notandum secundò, quod quamvis facile concipi possit, alia Sacramenta posse esse valida, & tamen informia, quia possunt habere omnia quæ ad eorum substantiam requiruntur, materiam scilicet, & formam, atque intentionem ministris, & nihilominus ob indispositionem subiecti non causare in eo gratiam sanctificantem; difficile tamen concipitur quod Sacramentum poenitentiae possit esse informe, & tamen validum; non enim est par ratio de Sacramento poenitentiae, ac de aliis, quia in nullo alio contritio ipsa vel attritio, quæ est dispositio ad gratiam, & remouet obicem, est essentialis pars Sacramenti. Secus autem in isto, quod idcirco non videtur posse confici, quin recipiatur à subiecto dispositio ad gratiam, & consequenter nisi in illo fortitur effectum. Unde plures Theologi hoc fundamento ducti, existimant in nullo casu posse contingere, quod Confessio sacramentalis sit valida, & nihilominus sit informis, seu careat effectum ob quem sit, videlicet gratia & peccatorum remissione. Ita Gabriel, Major, Adrianus, Vega, & Sylus, quos ex Patribus Societatis sequuntur Vazquez, Coninck, Amicus, & Martinus. Thomista verò, Suarez, & alii, è contra docent posse dari Confessionem validam, licet informem, differunt tamen in assignandis & determinandis casibus in quibus hoc accidat. Illi verò casus de quibus est controversia, ad tres præcipue reduci possunt.

Primus est, quando contingit aliquem facere Confessionem non integram, defectu sufficientis examinis, quod tamen poenitens credit esse sufficientem ex ignorantia invincibili, vel etiam vincibili, quamvis non crassa & affectata; si enim ex tali ignorantia affectata ignoraret esse insufficientem, concedunt omnes, Confessionem fore formaliter non integram, subindeque Sacramentum nullum; quia quando ignorantia est affectata vel crassa, ita se habet homo ac si sciret se commississe peccata de quibus non recordatur, & consequenter ac si ea sciens & valens non confiteretur.

Secundus est, quando poenitens habet attritionem excludentem quidem formale propositum peccandi amplius, non tamen virtuale seu implicitam quandam & secretam peccandi voluntatem; licet quia mentitur iniquitas sibi, ipse poenitens id non cognoscat.

Tertius est, quando attritio non est generalis, atque adeo non se extendit ad peccata ex oblivione naturali & inculpabili poenitentis in Confessione omissa, verbi gratia, quando quis habens quatuor peccata lethalia, perjurium, furtum, adulterium, & homicidium, solum tria posteriora declarat in Confessione, & de ipsis habet attritionem supernaturalem ex motivo particularis deformitatis eorum; quartum verò ex oblivione naturali & inculpabili non declarat, nec proinde de illo dolet, quia existimat se illud non commississe.

Plures ergo ex nostris Thomistis existimant in his tribus casibus dari confessionem validam, sed informem. Alii solum in primo & secundo casu. Alii verò solum in tertio. Primum tenent Ledesma, Nugno, & Cagnidus, secundum docet Joannes à S. Thoma. Tertium asserit Philippus à S. Trinitate. Pro resolutione sit.

§. II.

Verior & probabilior sententia, sequentibus conclusionibus statuitur & explicatur.

Dico primò, posse dari Confessionem Sacramentalem validam, & tamen informem.

Probatur primò ex D. Thoma hic art. 1. ubi sic loquitur: *Confessio potest esse in eo qui non est contritus, quia potest peccata sua pandere Sacerdoti, & claribus Ecclesie se subicere, & quamvis tunc non percipiat absolutionis fructum, tamen recedente fictione, percipere incipiet, unde non tenetur postmodum nisi suam fidem consistere.* Ergo ex mente D. Thome potest dari Confessio valida, & tamen informis. Probatur consequentia, tum quia nemo percipit fructum absolutionis præteritæ, nisi illa valida fuerit: Sed ex D. Thoma recedente fictione percipit homo fructum absolutionis antea datæ: Ergo absolutio illa, quam constat esse informem, valida erat. Tum etiam, quia si Sacramentum omnino fuisset invalidum, non sufficeret fictionem consistere, sed repetenda esset Confessio: Atqui in illo casu non est repetenda Confessio, ut ait S. Doctor: Ergo in eo casu Sacramentum non fuit invalidum.

Probatur secundò: Plus est Confessionem esse simul validam & formatam, quam esse tantum validam; esse enim validam tantum, est solum habere quæ sunt de ejus essentia & quidditate; esse verò insuper formatam, est habere præterea suum effectum: Ergo plus requiritur ad istud, quam ad illud, & consequenter licet confessio non sit formata, siue licet careat suo effectum, poterit tamen esse valida, siue habere quæ sunt de essentia & quidditate Confessionis sacramentalis.

Confirmatur: Cum effectus sit extra essentiam & quidditatem suæ causæ, potest causa ab eo separari, siue potest eo carere, ipsum non causando actualiter, ob aliquam subiecti indispositionem, quamvis ex se sit sufficienter causativa ipsius, ut patet in igne non semper producente de facto calorem, ob subiecti indispositionem: Sed Confessionem esse validam, licet informem, nihil aliud est, quam eam separari à suo effectum, siue eo carere, ipsum non causando actualiter, ob subiecti indispositionem, licet ex se sit sufficienter causativa ipsius: Ergo Confessio potest esse valida, & tamen informis.

Dico secundò, Confessionem non esse validam & informem in duobus primis casibus supra adductis. Id est quando contingit aliquem facere Confessionem non integram, defectu sufficientis examinis; vel habere attritionem excludentem quidem formale propositum peccandi, non tamen virtuale & implicitum.

Probatur primò quoad primum casum: Vel poenitens bonâ fide & inculpabiliter credit se diligens sufficientem suæ conscientie examen confessioni præmississe, vel culpabiliter, & cum ignorantia visibili & mortaliter culpabili, id sibi persuadet? Si primum, nullo modo ponit obicem gratiæ, & remissioni peccatorum, subindeque peccatum inculpabiliter omissum indirectè ipsi mittitur; sicut quando oblivione naturali excidit à memoria aliquod peccatum: nam ut ait Tridentinum sess. 14. cap. 5. *Peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur, pro quibus fideliter cum Propheta dicimus: Ab oculis meis*

me Domine, quæ mundatio non fit sine remissione peccatorum: Ergo si in eo casu confessio sit valida, non erit informis, sed formata. Si verò dicatur, quod penitens ex ignorantia vincibili & mortaliter culpabili sibi persuadet sufficiens suæ conscientie examen se confessioni præmississe, tunc confessio non solum erit informis, sed etiam invalida, quod sic ostendo. Integritas formalis confessionis est de substantia Sacramenti penitentiae, ut fatentur Adversarii: At si ignorantia sit vincibilis & mortaliter culpabilis, confessio non erit integra formaliter: Ergo Sacramentum penitentiae tunc non habebit quicquid requiritur ad ejus substantiam, subindeque erit invalidum. Minor probatur: Ut omittens aliquod peccatum, dicatur facere confessionem formaliter integram, oportet quod illud ex rationabili causa omittat: Sed qui omittit illud ex ignorantia vincibili, & mortaliter culpabili, non omittit ex causa rationabili, ut patet; quia rationabilis causa est tantum impotentia physica, aut moralis, vel grave aliquod nocumentum sui vel proximi: Ergo qui omittit aliquod peccatum in confessione ex ignorantia vincibili & mortaliter culpabili, non censetur facere confessionem formaliter integram.

7. Probatur secundò conclusio quoad secundum casum: Sine parte essentiali non potest Sacramentum in suo valore consistere: Sed attritio omnem affectum peccati mortalis excludens, est pars Sacramenti penitentiae, ut definit Tridentinum sess. 14. cap. 4. Ergo qui peccata confitetur cum attritione non excludente omnem affectum ad peccatum mortale, retinetque secretam quandam & implicitam peccandi voluntatem, facit Sacramentum, non solum informe, sed etiam invalidum.

8. Dices primò cum Joanne à S. Thoma, Concilium ibi loqui de attritione, ut est dispositio ad effectum Sacramenti, non verò ut est pars illius, unde licet ad obtinendam gratiam & remissionem peccatorum, requiratur attritio excludens omnem voluntatem peccandi, cum spe venia, non tamen ut Sacramentum sit validum, & constet omnibus partibus ad sui essentiam vel integritatem requisitis.

Sed contra primò: Concilium ibidem cap. 3. loquitur de partibus hujus Sacramenti in communi, atque illas esse tres, quæ sunt quasi materia hujus Sacramenti, nempe contritionem, confessionem, & satisfactionem; & postea tribus capitulis sequentibus. differit in particulari de qualibet parte; primò quidem de contritione, quam dividit in perfectam, quæ contritio simpliciter appellatur, & imperfectam, quæ attritio dicitur, &c. Ergo ibi loquitur de attritione, non solum ut est dispositio ad effectum Sacramenti, sed etiam ut est pars intrinsecè illud componens.

Contra secundò, si valeret hæc solutio, eadem facilitate posset quis dicere, quod quando Concilium ibidem docet, contritionem illam imperfectam, quæ attritio dicitur, esse supernaturalem, verumque Dei donum, & Spiritus Sancti impulsus, loquitur de attritione ut est dispositio ad effectum Sacramenti, non verò ut est pars illius; subindeque ad valorem Sacramenti non requiri dolorem supernaturalem, sed naturalem sufficere, licet requiratur supernaturalis ut infundatur gratia: Sed hoc dici nequit, ut fatentur

A Joannes à S. Thoma, & alii Thomistæ communiter: Ergo nec illud.

Dices secundò, quod licet ad obtinendam effectum hujus Sacramenti requiratur attritio, quæ deest omnem peccandi affectum excludens, ad ejus tamen valorem sufficit quod penitens existimet, & invincibiliter putet, se habere attritionem, omnem peccandi affectum excludentem, quamvis revera attritio ejus, talem effectum non excludat.

Sed contra: Quando aliquid est necessarium necessitate medi ad aliud habendum, illo modo, si culpabiliter, si inculpabiliter, non potest illud obtineri: Sed attritio excludens omnem peccandi affectum est necessaria necessitate medi ad valorem Sacramenti penitentiae, cum sit pars essentialis illius: Ergo quamvis penitens invincibiliter putet attritionem quam habet de peccatis, omnem peccandi affectum excludentem, si tamen revera illum non excludat, non facit Sacramentum validum, sed invalidum.

Confirmatur & magis illustratur hæc ratio: Materia Sacramenti quæ requiritur ex divina institutione, sita debet poni vere & in re, quod non potest suppleri per ignorantiam, vel estimationem quantumcunque invincibilem; quia materia existimata, non est materia instituta à Christo; Sacramentum autem essentialiter componitur ex materia instituta, non ex materia existimata, ut constat in omnibus Sacramentis, in quibus enim in pane aut vino existimato, sed non vero, consecrat, nihil facit, & similiter si baptizet in aqua existimata naturali, sed non vera; aut si contrahat cum consensu existimato, sed non vero, nihil efficit: Ergo cum materia penitentiae ex institutione Christi, juxta Concilium Tridentinum, sit contritio, vel attritio, omnem peccandi affectum excludens, quantumcunque attritio omnem peccandi voluntatem censetur excludere, si tamen revera illam non excludat, Sacramentum penitentiae erit invalidum.

Confirmatur ampliùs: Ad valorem Sacramenti penitentiae non minus requiritur quod attritio quæ est pars essentialis illius, omnem peccandi affectum excludat, quam quod sit supernaturalis, utramque enim conditionem in ea requirit Tridentinum loco citato, dicens talem attritionem voluntatem peccandi debere excludere, & verum Donum Dei esse ac Spiritus Sancti impulsus: Sed attritio naturalis, quamvis invincibiliter existimetur supernaturalis, non sufficit ad valorem Sacramenti penitentiae, ut fatentur Adversarii: Ergo nec attritio non excludens omnem peccandi affectum, quamvis illum excludere invincibiliter existimetur.

Dico tertio, Si quis habens quatuor peccata mortalia, tria declarat in confessione, & de eis attritionem habeat, supernaturalem quidem, sed ex motivo particularis deformitatis eorum, aliud verò ex inadvertentia inculpabili non declarat nec consequenter de illo dolet, quia non putat se illud commisisse, confessio ejus erit valida, licet informis.

Probatur breviter: Et in primis quod confessio illa sit informis, si careat suo effectu, qui est remissio peccatorum, videtur certum. Nam in confessione unum peccatum non remittitur sine alio: Sed in casu posito non remittitur penitenti illud peccatum quod ex inadvertentia inculpabili non declarat: Ergo nec alia quæ in confessione aperte remittuntur. Major patet, Minor probatur. quam

quam remittitur peccatum, nisi habenti dolorem A
formalem aut virtuale de ipso. Sed in casu posi-
to penitens neque habet dolorem formalem ne-
que virtuale de peccato omisso; non quidem
formalem & explicitum, ut constat, cum non co-
gitet de illo; neque etiam virtuale & implicitum,
quia dolor de peccato ex motivo ipsi specia-
li, v. g. de adulterio ex speciali turpitudine
ipsum non est dolor virtualis de peccatis diversis
rationis, puta de furto, vel de homicidio: Sed
penitens in casu posito non dolet de tribus pec-
catis, nisi ex particulari motivo, & ex speciali
ipsum turpitudine: Ergo non habet dolorem
virtualem & implicitum de quarto.

Dices, quod quamvis illa attritio considerata B
præcisè ex proprio motivo non extendatur etiam
virtualiter ad peccatum oblitum, bene tamen
quatenus hic & nunc conjungitur voluntati
fufcipiendi Sacramentum, & redeundi in ami-
citiā divinam.

Sed contra: Voluntas fufcipiendi Sacramen-
tum, neque formaliter, neque virtualiter oppo-
nitur peccato, neque etiam intentioni quæcunque
recuperandi divinam amicitiam; ut patet in eo
qui orando petit hanc divinam amicitiam, quam
tamen, si sit in statu peccati, non obtinet, nisi
actum contritionis eliceat. Ergo attritio, ut con-
iuncta tali voluntati & intentioni, non se exten-
dit, etiam virtualiter & implicite, ad peccatum
oblitum.

Quod verò in casu posito confessio sit valida,
ex eo probatur, quod et si illa non sit integra
materialiter, bene tamen formaliter, sicut contingit
quando peccatum aliquod mortale taceatur in
confessione, ex oblivione naturali & inculpabili.
Aliunde verò sufficit ad valorem confessionis,
nisi, quod attritio se extendat ad omnia peccata
quæ in confessione aperiuntur: Ergo licet in
casu posito per accidens non se extendat ad pec-
catum oblitum & omittitur, hoc non obstat valo-
ri confessionis. Consequentia patet, Antecedens
probatur. Attritio eatenus solum est pars Sacra-
menti penitentiae, quatenus fit sensibilis per
confessionem peccatorum. Ergo ad valorem hu-
jus Sacramenti sufficit quod attritio se extendat
ad omnia peccata quæ in confessione declarantur.

Dices, Qui ex iusta causa subterit in confes-
sione aliquod peccatum cuius memoriam habet, &
dolet tantum de peccatis quæ aperit, non verò
de illo quod subterit, Sacramentum est invali-
dum; Ergo idem in casu posito contingit.

Sed nego Consequentiam & paritatem, nam
in eo casu confessio non est integra, etiam for-
maliter, ex eo quod penitens omittens contri-
tionem de peccato cuius memoriam habet, ponit
obicem effectui Sacramenti, subindeque peccat
mortaliter: in nostro verò casu confessio est in-
tegra formaliter, quia peccatum ad quod attritio
non se extendit, omittitur in confessione ex igno-
rantia invincibili, aut oblivione inculpabili.

§. III.

Solvuntur Objectiones.

Obijciunt primò contra primam conclusionem:
Hæc duo inter se coherere nequeunt, nempe
quod Sacramentum sit verum & validum, &
tamen gratiam non causet, quandoquidem de
actione Sacramenti est esse causam gratiæ: Ergo

repugnat dari confessionem validam, & tamen
informem.

Respondet negando Antecedens, & ad illius
probationem dico, non esse de ratione Sacra-
menti causare actualiter gratiam, sed habere vim
& virtutem ad illam causandam, licet interdum
actualiter ob aliquam subiecti dispositionem il-
lam non causet: sicut ignis ex se est causativus
caloris, et si ob aliquam subiecti indispositionem,
illum non semper actu producat.

Dices, Sacerdos non habet intentionem ab-
solvendi penitentem & conficiendi Sacramen-
tum, nisi conferendo gratiam; quandoquidem si
cognosceret illum non esse sufficienter dispositum
ad recipiendam gratiam, non posset absque sa-
cilegio ipsum absolvere: Ergo repugnat Sa-
cramentum penitentiae esse validum, nisi defa-
cto gratiam conferat.

Respondet quod licet in casu quo Sacerdos
cognosceret, penitentem non esse sufficienter
dispositum ad recipiendum effectum Sacramen-
talis absolutionis, non posset licet ipsum absol-
vere, ex eo tamen non sequitur, quod non ha-
beat intentionem absolviendi, nisi conferendo de
facto gratiam; alias similiter ex eo quod non liceat
ipsi baptizare adultum quæ sit non esse dispositum
ad digne fufcipiendum tale Sacramentum, simi-
liter dici posset quod non haberet intentionem
baptizandi, nisi conferendo gratiam; quod ta-
men est falsum apud omnes, cum certum sit, ba-
ptismum, quamvis sit susceptum, non esse ite-
rabile, atque adeo esse validum.

Obijciunt secundò. Eadem attritio quæ est pars
Sacramenti penitentiae, est etiam dispositio ad
effectum illius, unde Tridentinum non distinguit
in attritione rationem partis, & rationem dispo-
sitionis: Ergo non stat Sacramentum peniten-
tiæ esse validum, & constare materiā sibi debitā,
nisi sit formatum, & nisi producat in penitente
suum effectum, nempe gratiam & remissionem
peccatorum.

Respondet quod licet regulariter & per se,
eadem attritio quæ est pars Sacramenti peniten-
tiæ, sit etiam dispositio ad effectum illius, ideo
que Tridentinum non distinguit in attritione
rationem partis & rationem dispositionis; per
accidens tamen & in aliquo casu raro & extraor-
dinario contingere potest, quod attritio sit pars Sa-
cramenti penitentiae, & tamen non disponat ad
effectum illius; quando nimirum illa procedit ex
motivo turpitudinis specialis aliquorum pecca-
torum, subindeque nec formaliter nec virtuali-
ter se extendit ad aliquod peccatum invincibiliter
ignotum, aut inculpabiliter oblitum; unde
in eo solum casu existimo posse dari confes-
sionem validam, & tamen informem, ut in tertia
conclusionem declaravimus.

Dices. Ut attritio sit materia hujus Sacramen-
ti, debet esse talis, quod semper illam possit veri-
ficari forma: Sed forma hujus Sacramenti, nimi-
rum, Ego absolvo te à peccatis tuis, non potest veri-
ficari super attritionem quæ non est dispositio
ad gratiam; quia remota dispositione ad gratiam
& remissionem peccatorum, verificari non po-
test quod penitens à peccatis absolvatur: Ergo
attritio quæ non est dispositio ad gratiam, nequit
esse materia in Sacramento penitentiae, nec ha-
bere rationem partis respectu illius.

Respondet, concessa Majori, negando Mino-
rem; nam ut docet S. Thomas, p. quart. 84. art.
3. ad 5. sensus horum verborum, Ego absolvo te.

Cg 3 non

non est, Ego tibi confero gratiam à peccatis solventem, seu peccata remittentem, sed ego tibi Sacramentum absolutionis impendo, seu Sacramentum absolutivum à vinculis, remissivum peccatorum, & collativum gratiæ: hoc autem verificatur, etsi attritio non disponat ad gratiam, & licet de facto non remittantur peccata, ratione indispositionis ex parte subiecti, non tamen ex parte Sacramenti; sicut ob eandem rationem, quando Baptismus fide suscipitur, verba formæ verificantur, licet baptizatus, à peccatorum sordibus tunc de facto non abluatur.

23. Objicies tertio contra tertiam conclusionem: Peccata inculpabiliter oblita remittuntur in Sacramento penitentia; quamvis confessio ad ea non se extendat, ut docet Tridentinum sess. 14. cap. 5. his verbis supra relatis: *Peccata quæ diligenter cogitanti non occurrunt, in universum, eandem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fideliter cum Propheta dicimus, Ab occultis meis munda me Domine: Ergo similiter peccata inculpabiliter oblita remittuntur in hoc Sacramento, quamvis attritio ad ea non extendatur, subindeque tunc confessio non solum est valida, sed etiam formata.*

24. Respondeo, concessio Antecedente, negando Consequentiam & paritatem; notabile enim inter integritatem confessionis & integritatem attritionis reperitur discrimen; nam integritas confessionis solum est de præcepto, non de necessitate mediæ; unde quomodocumque satisfiat illi præcepto, confessio manet integra formaliter: penitentia verò interior est medium per se requisitum ad emissionem peccati; unde si respectu alicujus peccati hæc attritio non extenditur, non manet remissum, quia non applicatur ei medium per se necessarium.

25. Objicies quarto: Quando attritio est particularis, atque adeo non se extendit ad peccata omnia in confessione ex ignorantia inculpabili, confessio non solum est valida, sed etiam formata: Ergo falsum est in eo casu dari confessionem validam simul & informem. Consequentia patet. Antecedens probatur. Tunc confessio producit gratiam, atque adeo est formata, quando penitens nullum ponit obicem gratiæ Sacramentali: Sed in illo casu penitens nullum ponit obicem gratiæ Sacramentali; alias enim peccaret, quandoquidem obligatur ex præcepto divino non impedire effectum Sacramenti, atque adeo non apponere illi obicem. Ergo in tali casu confessio non solum est valida, sed etiam formata.

26. Respondeo negando Antecedens, & ad ejus probationem dico tunc confessionem Sacramentalem producere gratiam, quando penitens nullum ponit obicem neque positivum neque negativum gratiæ: in casu autem quo ex ignorantia inculpabili ejus confessio non fit de omnibus peccatis quæ commisit, & dolor sive attritio quam habet de illis quæ confitetur; non se extendat ad ea quæ non confitetur: quia non est ex motivo generali, sed particulari in illa, inquam, casu, penitens ponit impedimentum gratiæ, non quidem positivum, sed negativum, videlicet negationem extensionis attritionis ad illa peccata quæ ex ignorantia invincibili non confitetur. Nō peccat tamen ponendo hujusmodi obicem, quia invincibiliter ignorat se illum apponere, eo quod inculpabiliter ignorat, se alia peccata commisisse, præter ea quæ declaravit in confessione.

27. Objicies quinto: Ille qui ex auxilio gratiæ fa-

cit id totum quod tenetur præstare, & quod potest humano & morali modo, ad recipiendum effectum Sacramenti est sufficienter dispositus ad illum: Sed qui habet attritionem de aliquo peccato, & ex oblivione omnino inculpabili omittit aliud peccatum, facit id totum quod potest humano & morali modo; nihil enim aliud potest præstare, ex hypothesi illius oblivionis, maxime si supponatur ipsum non posse illud melle; Ergo est sufficienter dispositus ad recipiendum effectum Sacramenti, subindeque in eadem confessio non est informis, sed formata.

Respondeo primo, negando Minorem, ille enim potest habere attritionem ex motivo aliquo generali, virtualiter & implicite extendentem: nam peccata inculpabiliter oblita.

Respondeo secundo, datū Minoris, negando Consequentiam; ex eo enim quod hæc ratio hypothetici, non possit aliud humano & morali modo præstare, sequitur tantum quod exculsetur nova culpa, non verò quod gratiam & remissionem peccatorum obtineat; quia caret medio necessariis, nempe attritionis ad omnia peccata se extendentis, sufficit ad impediendum effectum Sacramenti penitentia, etiam sine nova culpa.

ARTICULUS II.

Virum confessio semper debeat esse integra, vel interdum penitens ab ejus integritate excusetur?

PRO resolutione hujus difficultatis observandum est, duplicem solere à Theologis distingui confessionis integritatem, materiam unam, & formalem alteram. Materialis, quando aliquis confitetur quicquid per se quando necessarium confitendum est, cum scilicet peccata mortalia post Baptismum commissa, & nondum debite confessi. Formalis vero est, quando confitetur omnia quæ hic & nunc tenetur confiteri, ita ut nullum mortale committat sine legitima excusatione; tamen forte omittat aliqua, quæ propter oblivionem, aut aliam causam legitimam, non tenetur hic & nunc confiteri. Hæc distinctione præmissa.

Dico primo, formalem integritatem semper esse necessariam ad valorem confessionis, subindeque teneri penitentem declarare in confessione omnia & singula peccata, & quantum ad speciem, & quantum ad numerum, & quoad circumstantias speciem mutantes, nisi aliqua causa gravissima & urgens excuset.

Conclusio est certa de se, ac definita in Tridentino sess. 14. cap. 5. ubi sic dicitur: Cum universa mortalia peccata seriè cognoscant, homines in filios, & Dei inimicos reddant, nisi eam est, omnium etiam veniam, cum aperta & veraciter Confessione, à Deo querere. Itaque dum omnia, quæ memoria occurrunt, peccata Christi fideles confitentur, proculdubio omnia divina misericordia agnoscenda exponunt; qui verò secus faciunt, & sciant aliqua retinere, nihil divina bonitati per Sacramentum mittendum proponunt. Si enim erubescat agnosce vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, sicut ait, Quæ ultima verba desumpsit ex Hieronymo, qui expones illud Ecclesiastici 10. simonides scriptum in libro, &c. sic ait: Si erubescat agnosce vulnus medico detegere, quod ignorat medicina, non curat, idem docet.

docet can. 7. his verbis: Si quis dixerit in Sacramento penitentia ad remissionem peccatorum necessarium non esse iure divino, confiteri omnia & singula peccata mortalia, quorum memoria cum debita & diligenti praemeditatione habeatur: & circumstantias quas peccati speciem mutant, &c. Anathema sit.

Ratio etiam suffragatur: Primò, quia Deus in hoc Sacramento peccata remittit per modum iudicii, mediâ accusatione rei, & sententiâ iudicis: Accusatione iudicis præsupponit integram accusationem rei: Ergo & absolutio Sacerdotis integram peccatorum confessionem. Quam rationem eleganter expendit Tridentinum loco primò citato ubi sic ait; Dominus noster Iesus Christus è terris ascensus ad celos, Sacerdotes sui ipsius vicarios reliquit, tanquam Praesides & Iudices, ad quos omnia mortalia crimina deferantur, in qua Christi fideles ceciderint, quo, pro potestate Clavium, remissionis aut retentionis peccatorum sententiam pronuntient. Constat autem Sacerdotes iudicium hoc, incognitâ causâ, exercere non potuisse, neque aequitatem in penis injungendis servare potuisse, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac singulis, sua ipsi peccata declarassent.

Secundò, Confessarius in hoc Sacramento non solum habet rationem iudicis, sed etiam Medici: At medicus non potest sapienter medicinam præscribere nisi omnes morbos, totamque infirmi habitudinem perspectam habeat: Ergo nec Sacerdos potest salutare penitentiam præscribere penitenti, nisi omnia & singula ejus peccata cognoscat. Hanc etiam rationem insinuat Tridentinum verbis ex Hieronymo supra adductis, eamque fassus exponit S. Thomas hic artic. 2. in corp. ubi hæc habet: In medicina corporali oportet quod medicus non solum unum morbum contra quem medicinam dare debet, cognoscat, sed etiam universalem totam habitudinem ipsius infirmi; eo quod unus morbus ex adiunctione alterius aggravatur; & medicina, qua uni morbo competet, alteri nocivum præstaret; cum quandoque aliquis contrarius peccatis infectus sit, ut Gregorius in Pastor. docet. Et ideo de necessitate confessionis est, quod homo omnia peccata confiteatur, quia in memoria habet: quod si non faciat, non est confessio, sed confessionis simulatio.

Tertiò, præceptum confessionis, ex Christi institutione, subrogatum est præcepto contritionis: Sed contritio non delet peccata, nisi omnia detestentur. Ergo nec confessio, nisi omnia declarantur & Ecclesie clavibus subiiciantur. Quare S. Thomas eodem articulo in resp. ad 2. Sacerdos (inquit) confessionem audiens, vicem Dei gerit, & ideo debet ei fieri hoc modo confessio, sicut fit contritio Deo. Unde sicut non esset contritio nisi quis de omnibus que memoria occurrunt, contereretur, ita non esset confessio, nisi quis de omnibus que memoria occurrerint, confiteatur.

Dices, Potest quis absolvi ab una excommunicatione & non ab alia: Ergo & remitti unum peccatum, & non remitti altero, subindeque necesse non est, ut penitens de omnibus peccatis que memoriae occurrunt confiteatur.

Respondeo, concessio Antecedente, negando consequentiam & paritatem; excommunicatio enim consistit in extrinseca privatione participationis bonorum spiritualium, nempe Sacramentorum, & suffragiorum Ecclesie; quæ privatio induci potest ob plures titulos, quorum unus solum potest sine alio; at verò peccatum inducit pri-

vationem gratiæ, & amicitie Dei, quæ cum nullo peccato mortalitate possunt; quare repugnat unum peccatum mortale remitti sine alio. Ex quo intelliges, ad valorem Sacramenti penitentia requiri quod omnia peccata mortalia uni Sacerdoti, & in una eademque Confessione exponantur; si quis enim suam divideret Confessionem, & partem peccatorum uni Sacerdoti, & alteram partem alteri manifestaret, oporteret quod tunc unum peccatum remitteretur sine alio; nam unus Sacerdos prius absolveret ab una parte peccatorum, & alter posteriùs absolveret ab altera, aliàs falsa foret alterutrius absolutio. Unde in capite. Consideret de Penit. dist. 5. sic habetur; Cautus sit penitens, ne verecundiâ ductus dividat apud se confessionem, ut diversa velit diversis Sacerdotibus manifestare, quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere. Quæ sunt verba Augustini, vel Authoris libri de vera & falsa Penitentia cap. 14.

Quæres primò, utrum si aliquis dubitet, an commiserit aliquod peccatum, vel an illud sit mortale, vel an fuerit illud confessus, teneatur confiteri?

Respondeo affirmativè cum S. Thoma in 4. distinct. 21. quæst. 2. art. 3. ad 3. ubi hæc scribit: Quando aliquis dubitat de aliquo peccato an sit mortale, tenetur illud confiteri dubitatione in mente: quia qui aliquid committit vel omittit in quo dubitat esse mortale peccatum, peccat mortaliter, discernim se committens. Et similiter periculo se committit qui de hoc quod dubitat esse mortale negligit confiteri. Non tamen debet asserere illud esse mortale, sed cum dubitatione loqui, & iudicium Sacerdotis expectare, cuius est discernere inter lepram & lepram. Obligatio ergo certa, non solum regulatur penes ipsum factum, sed etiam penes periculum; unde licet factum sit dubium, si tamen periculum est certum obligatio est certa. Sicut si quis est dubius de morbo, tenetur procurare remedium; si venator dubitet, an illud quod movetur, sit homo, vel fera, tenetur non jaculari. Similiter etiam tenentur homines pro peccatis dubiis recurrere ad ad Deum, juxta illud Propheta: Ab oculis meis munda me Domine, & ab alienis parce servo tuo: Ubi etiam includuntur dubia, quia ex parte sunt occulta. Oportet ergo penitentem de peccatis dubiis confiteri, præsertim in articulo mortis, ne periculo damnationis æternæ se exponat. Siquis verò dubitans an aliquod peccatum commiserit, de eo tanquam dubio confessus est, si postea cognoscat esse certum, tenetur illud iterum conferri ut certum. Quemadmodum si dubitasset ne mortale an veniale, posteaque deprehenderet esse mortale, tenetur de illo tanquam de mortali rursus confiteri; quia in illis casibus notabiliter variatur iudicium Confessarii, eo quod tale peccatum de materia dubia vel non necessaria, in materiam certam, vel necessariam transferatur.

Quæres secundò, utrum mentiri in rebus ad Confessionem pertinentibus, nempe negando se fecisse aliquod peccatum quod fecisti, sit peccatum mortale contra integritatem Confessionis?

Respondeo quod si penitens neget se fecisse aliquod peccatum mortale quod tenetur confiteri, peccat contra integritatem Confessionis, & Sacramentum facit esse irritum: nam si omittendo liberè confiteri illud peccatum, redderet Sacramentum irritum, multò magis negando se illud fecisse. Si verò neget se fecisse aliquod peccatum

tum veniale quod fecit, aut aliquod mortale, de quo alias confessus est, & cuius cognitio non est necessaria ad valorem presentis confessionis, non peccat contra eius integritatem; quia tale mendacium concomitantur se habet ad Sacramentum, nec ei gravem injuriam affert, cum peccata venialia, aut mortalia alias confessa, non sint materia necessaria confessionis. Imò addit Suarez, p. 116 totaliter excusari à peccato veniali, cum quis interrogatus negat se veniale commisisse, quod re vera commisit, quia quando iudex non interrogat iuridice, non mentitur aliquis negando factum, quia non censetur simpliciter negare se fecisse, sed negare ita fecisse, ut teneatur in tali foro illud revelare.

37. Quæres tertio, an qui fecit confessionem generalem, & simul exponit aliqua mortalia, quæ non est antea confessus, teneatur dicere peccata hæc fuisse commissæ post ultimam confessionem, sequæ de illis nondum esse confessum?

Respondeo affirmative, quidquid in contrarium dicant Bonacina, Diana, Delugo, & alii. Ratio præcipua hujus resolutionis est, quia variatur notabiliter iudicium Confessarii, quando putat peccata mortalia non fuisse confessa, ac quando existimat illa alias fuisse confessa & remissa, & longè minorem solet injungere satisfactionem pro peccatis jam confessis & remissis, quam pro illis quæ nunquam fuere in confessione exposita, & Ecclesiæ clavibus subdita; quæcumq; autem notabiliter variare solent iudicium Confessarii, debent in confessione exponi. Quæ de causa dicemus articulo sequenti, circumstantias notabiliter aggravantes, debere necessariò in confessione explicari.

38. Dico secundo, materialem integritatem non semper esse necessariam ad valorem confessionis, vel ad fructum Sacramentalem percipiendum. Ita docent communiter Theologi, & colligitur manifestè ex Tridentino sess. 14. cap. 7. ubi de confessione diminuta per accidens propter oblivionem, sic ait: *Reliqua autem peccata, quæ diligenter cogitantur non occurrunt in universum, eadem confessione inclusa esse intelliguntur: pro quibus fidelitèr cum Propheta dicimus: Ab occultis meis munda me Domine.* Quæ autem est ratio de oblivione, eadem est de quavis alia impotentia, physica, vel morali; quia integritas confessionis debet esse moraliter possibilis, nec repugnare aliis præceptis maioribus, quale est præceptum charitatis; nam ex doctrina D. Bernardi lib. de Præcepto & Dispens. quod propter charitatem introductum est, non debet contra charitatem exerceri. Unde multa sunt causæ excusantes ab integritate confessionis.

Prima est oblivio, de qua Tridentinum citatur, quando scilicet quis adhibita sufficienti diligentia, non meminit alicujus peccati.

Secunda est impotentia, ut si poenitens amissæ loquelæ, vel in phrenesim versus, nequeat confessionem perficere, tunc enim uno peccato auditò, absolvendus est. Item si tempore procellæ, incendii, belli, timeatur mors, danda est absolutio quo tempore possunt multum aliquod peccatum altà voce confitentes, simul absolvi.

Tertia est periculum alicujus gravis damni sibi vel proximo imminentis; puta si rationabiliter timeatur Confessorem non servaturum sigillum, sed vel poenitentem vel alium complicem infamaturum, aut si praveatur quod Confessarius inestaturus sit poenitentem ad peccatum.

A Præceptum enim integrè confitendi, quod divinum est, merè positivum; Præceptum vero positivum, non obligat cum tanto dispendio & documento, ut indicavit Christus Marthæ, ut Discipulos in gravi fame velletis (pater de Sabbathi, & Davidem cum locis de panibus propositionis comedentem, excusari à transgressione præcepti de non violando Sabbathum, & de non comedendis panibus propositionis, quibus non licebat velci, nisi solis Sacerdotibus.

Ad hoc autem ut hæc peccati celatus debet fieri, tria requiruntur. Primum, quod periculum scandalum seu damnum sit grave, & notabile, & non fundetur in levibus conjecturis. Secundum, quod non possit commodè differri confessio, nec alius Sacerdos cui poenitens possit absque periculo integrè confiteri. Tertium, quod illud illa solum peccata prætermittat, quæ iudicaverit illi periculo vitando necessaria.

Demum ex parte absolventis integritas confessionis excusatur, si ipsius mors, vel loquelæ defectus timentur, antequam totam possit audire confessionem, & alius Sacerdos advocari nequeat; nam tunc auditò aliquo peccato, impendenda est absolutio, idem fieri potest, si tempore pestis Sacerdos timeat sibi mortem, si cum ægroto confitente moretur.

Contra istam conclusionem obijci potest: In nullo profus casu licitum est transgredi Sacramentum Eucharistiæ, consecrando unam materiam sine alia, panem v.g. sine vino: Ergo confessionem Sacramentalem.

Sed negatur consequentia & paritas: Ratio criminis est, quia cum Sacerdotalis coram illis, & actus quidam moralis & humanus, præceptum de illius integritate metiendum est, juxta possibilitatem moralem, & regulas prudentiæ. At vero Sacramentum Eucharistiæ non habet propriam vel formam actum aliquem humanum, neque inde præceptum de illius integritate, absolute intelligi debet, sed aliq(uo) limitatione.

Obijciatur etiam: Confessio succedit contritioni: Ergo licet contritio non remittit peccatum, nisi cadat super omnia; ita nec confessio, nisi de omnibus.

Confirmatur: Peccata remitti nequeunt Sacramenti poenitentia, nisi subjiciantur clavibus Ecclesiæ: Sed peccata quæ tacentur, non subjiciuntur clavibus Ecclesiæ, quia neque peccatum subjici clavibus, nisi manifestetur Confessio: Ergo peccata quæ tacentur, remitti nequeunt Sacramenti poenitentia.

Ad objectionem respondeo, quod cum quavis confessio succedit contritioni, sed confessio integra formaliter, unde ut per confessionem peccata omnia remittantur, & homo perfectè Deo reconciliatur, sufficit quod illa sit integra formaliter, quamvis interdum careat integritate materiali.

Ad confirmationem dico, quod peccata quæ ex justa causa in confessione tacentur, subjiciuntur indirectè clavibus Ecclesiæ; subinde quod cum confessio remittuntur, ut de peccatis culpabiliter oblitis docet Tridentinum supra relatum.

* *

*

ARTICULUS III.

*An ad integritatem confessionis necessarium
sit declarare circumstantias peccatorum,
intra eandem speciem notabiliter
aggravantes?*

44. **S**upponimus circumstantias peccatorum esse triplicis generis: aliquae enim mutant speciem peccati, ut si furtum fiat in loco sacro, transit in sacrilegium; si fornicatio fiat cum conjugata, mutatur in adulterium; si cum consanguinea, in incestum. Aliae vero aggravant tantum notabiliter intra eandem speciem, ut furtum mille aureorum est notabiliter gravius furto unius aurei. Aliae denum nec speciem mutant nec notabiliter aggravant, nec occidere hominem ferro vel ligno. Conveniunt omnes, primas esse necessario confitendas, tertias non necessario; unde solum difficultas est & controversia de intermediis; has enim negant plures celebres Theologi & Casuista debere propter integritatem confessionis, necessario explicari; alii vero affirmant; & adhuc sub iudice lis est, cum hanc celeberrimam controversiam Tridentinum dirimere noluerit, sed eam iudicio & disputationi Theologorum decidendam reliquerit. Pro parte negativa stant S. Bohaventura, D. Antoninus, Durandus, Paludanus, Sylvester, Angelus, Navarrus, Joannes Medina, Vazquez, Valentia, Toletus, Becanus, Maratus, Delugo, & alii. Affirmativam sequuntur Thomista communiter, Suarez, Martinonius, Amicus, Emanuel Sa, Aegidius Coninck, alique permulti, quae sententia videtur probabilior, & Tridentino conformior. Unde fit

§. I.

Conclusio affirmativa statuitur.

Dico igitur, circumstantias valde notabiliter aggravantes malitiam peccatorum intra eandem speciem, necessario explicandas esse in confessione, ut illa integra sit.

45. **P**robatur primo ex Tridentino, quod licet noluerit expressè definire hanc questionem, inter Autores controversam, non obscurè tamen vet. nostrae conclusioni & sententiae fess. 14. cap. 5. docet enim talem requiri confessionem ex qua Sacerdos rectè de criminum gravitate judicare possit: Sed hoc fieri nequit, nisi circumstantiae intra eandem speciem notabiliter aggravantes in confessione declarantur: Ergo huiusmodi circumstantiae in confessione explicandae sunt. Major patet, Minor probatur. Furtum enim mille aureorum sine comparatione gravius est, quam furtum unius aurei: quoniam igitur paucio Sacerdos poterit rectè judicare quam graviter fur peccaverit, si nesciat an furatus sit mille aureos, an unum tantum?

46. **C**onfirmatur primo: Concilium ibidem sic ait: *Constat Sacerdotes non posse servare aequitatem in injungendis poenis, si in genere duntaxat, & non potius in specie ac singulatim peccata cognoscant.* At haec ratio probat confitendas esse circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes; puta quantitatis, nam per se notum est, majorem poenam esse injungendam ei qui unico actu eripuit multa millia aureorum, puta Principi, qui uno

Tom. V.

Adicto injusto multos spoliavit, quam ei qui fecit tria furtis, quibus tres tantum aureos abstulit. Idem constat in homicidio, major enim poena & satisfactio injungi debet ei qui disputatione tormenti majoris, occidit centum homines, quam ei qui ense unum duntaxat interfecit.

47. **C**onfirmatur secundo: Concilium ibidem docet, non solum speciem, sed etiam numerum peccatorum mortalium esse in confessione explicandum: Ergo, censet circumstantias intra eandem speciem notabiliter aggravantes, esse in confessione explicandas. Consequentia probatur, quia peccatum habens circumstantiam notabiliter aggravantem, vel habet plures malitias distinctas, ut ex professo probat Martinez in Tractatu de Peccatis, vel saltem aequivaler quantum ad gravitatem pluribus peccatis, & est virtualiter multiplex; ut patet in furto mille aureorum, quod quantum ad malitiam & gravitatem aequivaler mille furtis unius aurei. Et in odio per integrum diem vel annum durante, quod aequivaler & virtualiter continet plures actus odii; quia continuatio peccati, est virtualis quaedam distinctio peccatorum.

48. **P**robatur secundo conclusio: Illa circumstantia est in confessione necessario explicanda, quae est materia necessaria confessionis: Sed circumstantia intra eandem speciem notabiliter aggravans, est materia necessaria confessionis: Ergo in confessione necessario explicari debet. Major patet, Minor probatur. Illa circumstantia est materia necessaria confessionis, propter quam peccatum aliquod potest ab Episcopo vel Summo Pontifice reservari: Sed Episcopi vel Summus Pontifex possunt sibi reservare, & interdum sibi reservant peccata, ratione alicujus circumstantiae notabiliter aggravantis quam habent adjunctam, puta incestum cum propria sorore, vel matre, non vero cum nepte aut consobrina: Ergo circumstantia intra eandem speciem notabiliter aggravans, est materia necessaria confessionis. Minor patet, & conceditur ab Adversariis, qui fatentur in eo casu circumstantiam notabiliter aggravantem, per accidens, & propter illam reservationem, esse in confessione necessario declarandam. Major etiam ex eo constat, quod Ecclesia nunquam sibi reservat nec reservare potest venialia, aut mortalia alias rite confessa; quia huiusmodi peccata non sunt materia necessaria, sed libera confessionis; unde si pariter circumstantiae intra eandem speciem notabiliter aggravantes, essent materia libera confessionis, non posset Ecclesia sibi reservare aliquod peccatum, ratione alicujus circumstantiae notabiliter illud intra eandem speciem aggravantis.

49. **P**robatur tertio conclusio: Circumstantia notabiliter aggravans, licet intra eandem speciem, majorem nonnunquam malitiam addit, quam quae variat speciem: Ergo si haec in confessione explicanda est, etiam illa. Consequentia patet. Antecedens vero probatur. Furtum centum mille aureorum, vel occisio centum mille hominum, absolute continet in se majorem malitiam, quam furtum unius aurei, vel occisio unius hominis in Ecclesia.

50. **C**onfirmatur: Si circumstantia varians speciem peccati, non adderet ipsi novam malitiam, certum est quod non teneretur eam explicare: Ergo causa necessitatis in explicatione circumstantiae, non est differentia specifica, sed adjecta malitia: Ergo ubi est malitia notabilis superaddita, sive sit

H h

ejus-

eiusdem speciei vel alterius, oportebit eam explicare: unde cum circumstantia notabiliter aggravans intra eandem speciem, superaddat eo ipso notabilem malitiam, non satisfacit integritati confessionis qui eam non explicat.

§1. Demum suaderi potest conclusio ex variis absurdis & inconvenientibus quæ sequuntur ex adversa sententia. In primis enim ex illa sequitur nullum actum externum esse in confessione explicandum, sed solum internum affectum efficacem; cum enim juxta probabiliorem & commutuiorem sententiam, tota malitia peccati desumatur ab affectu interno, & nullo modo ex opere externo, opus externum est sola circumstantia peccati, quia nullam novam malitiam, saltem specificam & essentialiter, ei superaddit.

Secundo sequitur, quod ille qui cum sorore sua concubuit, satisfaciat præcepto confessionis, si dicat se incestum commississe; incestus enim cum propria sorore, vel cum alia consanguinea vel affini, sunt ejusdem speciei in esse moris, & primum habet tantum aggravare in specie incestus; quia ex communi sententia, quam insinuat D. Thomas 2. 2. quæst. 94. art. 2. omnia peccata incestus sunt ejusdem rationis & speciei.

Tertio sequitur, quod qui immaniter amputasset alicui aures, & brachia, & pedes, linguamque; ei abscedisset, atque oculos effodisset, dummodo illum non occidisset, satisfaceret præcepto confessionis, dicendo se graviter aliquem vulnerasse. Et qui disputatione tormenti bellici occidisset mille homines, sufficienter suum delictum explicaret, dicendo se reum esse homicidii. Item qui edicto injusto bona totius reipublicæ spoliasset, & cives omnes bonis propriis spoliasset, satisfaceret dicendo se in materia gravi furatum esse.

§2. Nec valet quod ait Valentia, nempe quantitatem furti non esse verè & propriè circumstantiam ipsius actionis furti, si in individuo furtum consideretur, sed potius determinatum illius objectum morale, atque adeo quiddam pertinens ad illius substantiam in individuo consideratam. Non valet, inquam, hoc enim est expressè contra D. Thomam 1. 2. quæst. 7. art. 3. Aristotelem 3. Ethic. cap. 1. & Ciceronem in sua Rhetorica cap. 1. qui assignantes septem circumstantias actuum humanorum, videlicet *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando*, dicunt pertinere ad substantiam furti, quod res sit aliena; quod autem multum vel parum, pertinere ad circumstantiam *quid*. Verba D. Thomæ sunt: *Conditio cause ex qua substantia actus dependet, non dicitur circumstantia, sed aliqua conditio adjuncta: sicut in objecto non dicitur circumstantia furti, quod sit alienum, hoc enim pertinet ad substantiam furti, sed quod sit magnum vel parvum.*

§. II.

Solvuntur Objectiones.

§3. Obijciunt primò Adversarii: Tridentinum sess. 14. cap. 5. doctrinaliter definiens, quæ circumstantiæ explicandæ sint, meminit solum earum quæ speciem mutant: Ergo aliæ explicandæ non sunt; alioquin doctrina Concilii diminuta esset, neque vera essent hæc verba quæ ibidem addit, *Nihil aliud à penitentibus exigitur &c.*

§4. Respondeo Concilium ideo explicite non meminisse Ido citato, nisi earum circumstantiarum quæ mutant speciem, quia controversiam inter

A Theologos de aliis quæ non variant speciem, non fuit desinit. Ceterum cum hoc sit, ratio quam tradit, ob quam explicari debent illæ quæ variant speciem, ostendere implicite necessitatem explanationis aliarum, ut in prima probatione conclusionis ostensum est. Unde Cæcilius Romanus, jussu Pii V. editus, de Sacramentis, §. *Sed quoniam*, docet juxta mentem Tridentini, non modo peccata omnia, sed etiam circumstantias, quæ peccati gravitatem valde augent vel minuant explicandas esse.

Addo quod, ex eo quod species & materia peccatorum mortalium in confessione necessariò explicari debent, rectè colligitur, etiam circumstantias intra eandem speciem aggravantes, declarandas esse; quia circumstantia notabiliter aggravans (ut in tertia probatione diximus) in partem interdum malitiam addit, quam quædam speciem; & peccatum habens circumstantiam notabiliter aggravantem, nonnunquam est virtualiter multiplex; ut patet in furto mille aut octingentorum, quod æquivalere mille furtis unionis auri.

Ad id quod subditur dicendum, quod cum Concilium addit: *Nihil aliud à penitentibus exigitur*, non vult nihil aliud exigi, quam ut species & numerus peccatorum declarentur, sed malitiam actum ad valorem confessionis requirunt, quam examen & confessionem peccatorum, cum sufficienti dolore de ipsis, ut patet ex verbis illis quæ statim subjungit: *quam ut postquam quis diligentiùs se excusserit, & conscientia suam omnia & latebras exploraverit, ea peccata confiteatur, quibus se Dominum & Deum suum mortaliter offensus meminerit.*

Obijciunt secundò D. Thomas in 4. dist. 18. quæst. 3. art. 2. quæst. 5. sic ait: *Alii vero dicunt, quod non sunt necessariò confitenda nisi circumstantiæ quæ ad aliud genus & speciem peccati mutantur, & hoc probabilius est.* Ergo censet probabilius esse, quod solæ circumstantiæ mutantem speciem non sunt confitendæ.

Respondet Soto, Cano, & alii ex nostris Thomistis, D. Thomam loco citato non expresse mente, sed ex aliorum opinione hanc questionem resolvisse, referendo scilicet opinionem suam temporis. Sed hæc responsio displicet, tam licet D. Thomas ibi referat duas opiniones: furti temporis, quarum una affirmabat confitendas esse circumstantias aggravantes, alia vero id negabat, istam dicit esse probabiliorē, subindeque etiam præferre alteri. Unde

Melius respondetur, fuisse quosdam tempore D. Thomæ, qui dicebant aliquas circumstantias quæ non valde notabiliter aggravant, esse necessariò confitendas, ut si ille qui commisit peccatum sit Episcopus, vel Generalis ordinis, si commisit peccatum in die festo &c. quia circumstantias illas notabiliter aggravare existimabant. Unde quando S. Doctor ait, circumstantias notabiliter aggravantes non esse de necessitate confitendas, sed tantum mutantem speciem intendit eas excludere illas circumstantias adductas, sed non propterea negat circumstantias verè & valde notabiliter aggravantes, quales sunt illæ quæ probando conclusionem adduximus, esse necessariò in confessione explicandas. Quod verò hæc conclusio legitima sit, & ab Authore inventa, & rectè colligitur ex ratione ipsius, ait enim idcirco circumstantias aggravantes non esse confitendas, sed tantum specie mutantem, quia veniale non est de necessitate confessionis, sed tantum mortale, quæ

quantitatem infinitam quodammodo habent. Ex qua A ratione constat, D. Thomam solum excludere circumstantias quæ sunt intra lineam peccati venialis, & quæ quantitatem infinitam non habent, quales sunt circumstantiæ adductæ, temporis facti, qualitaris personæ, & similes: circumstantiæ verò notabiliter aggravantes, de quibus nunc agimus, non sunt hujusmodi; nam illæ, etiam juxta Adversarios, habent infinitum augere malitiam peccati intra propriam speciem, id est talis sunt naturæ, ut de se sufficienter ad constituendum actum in specie malitiæ moralis, atque adeo sunt intra lineam peccati mortalis.

59. Obijciunt tertio: deo ad integritatem confessionis circumstantiæ mutantes speciem necessariò explicandæ sunt, quia constituunt distincta peccata. Atque circumstantiæ aggravantes intra eandem speciem, non addunt novum peccatum, unicum constituunt: Ergo ad integritatem confessionis non debent necessariò explicari.

60. Respondeo quod licet circumstantiæ notabiliter aggravantes intra eandem speciem, non constituunt formaliter distincta peccata, bene tamen virtualiter seu æquivalenter; unum enim peccatum notabiliter grave ex aliqua circumstantia, æquivaleret moraliter multis numerò distinctis, ut supra ostensum est; quare non satis explicatur quoad numerum peccata mortalia, non explicatis circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus.

61. Obijciunt quarto: Homo non obligatur ad id de quo nullum extat præceptum: Sed nullum extat præceptum Divinum aut Ecclesiasticum de constituendis circumstantiis intra eandem speciem notabiliter aggravantibus: Ergo homo ad id non tenetur.

62. Respondeo negando Minorem, extat enim præceptum divinum de constituendis illis circumstantiis, ex ipsa institutione hujus Sacramenti sequens; cum enim sit institutum à Christo per modum iudicii, quidquid requiritur ad hoc ut Sacerdos rectè de criminum gravitate iudicare possit, cadit sub præcepto divino; unde cum explicatio circumstantiarum intra eandem speciem notabiliter aggravantium, necessaria sit ad hoc ut Confessarius rectum de gravitate criminum efformet iudicium, ut supra ostensum est, sub præcepto divino cadit.

63. Obijciunt quinto: Si necessarium sit confiteri circumstantias notabiliter aggravantes intra eandem speciem, sequitur eandem fore necessitatem constituendi circumstantias notabiliter minuentes peccati gravitatem: Sed hoc videtur falsum, cum Sacramentum poenitentiae non sit ad se excusandum, sed accusandum: Ergo & illud.

64. Respondet Suarez, negando sequelam, existimat enim non debere poenitentem confiteri circumstantias notabiliter minuentes peccati gravitatem, & ratione in objectione adductam. Verum oppositum multò probabilius est; quemadmodum enim numerus parvus peccatorum explicandus est, ut rectum de poenitente feratur iudicium, sic & circumstantia omnis notabiliter allevians: v.g. si mulier meum mortis consentiat in fornicationem, debet talem circumstantiam explicare in confessione, sicut & qui peccat ex ignorantia, vel ex aliqua veli menti tentatione, ad hoc ut Sacerdos possit de ejus crimine rectè iudicium ferre. Ad probationem verò in contrarium dicendum est, quod licet Sacramentum poenitentiae non sit ad se excusandum, sed accusandum, est

Tom. V.

tamen ita ad se accusandum, ut ex ipsa accusatione possit Sacerdos agnoscere mensuram delicti, & juxta eam, debitam tantum & non excedentem satisfactionem imponere: ad hoc autem requiritur, ut diximus, circumstantiæ notabiliter minuentis explicatio.

Obijciunt tertio: Difficile est discernere inter circumstantias notabiliter & non notabiliter aggravantes intra eandem speciem, quis enim determinet, quanta intensio, vel quanta duratio actus requiratur, ut peccatum notabiliter aggravetur intra eandem speciem? Ergo iugum confessionis nimis durum ac molestum redditur in nostra sententia.

65. Respondeo negando Antecedens, nam in quantitate magnitudinis & multitudinis, facillimum est discernere inter circumstantias notabiliter & non notabiliter aggravantes, ut patet in exemplis supra adductis. In intensione etiam & duratione, id non multum difficile est; si enim poenitens valde notabiliter excedat modum communem peccandi, quoad durationem, vel quoad intensiorem actus, est circumstantia notabiliter aggravans, secus verò quoties modus ordinarius peccandi, vel quoad durationem, vel quoad intensiorem actus, non exceditur notabiliter. Unde si aliquis per multas horas perseveraverit in actu odii Dei vel proximi, vel in aliqua turpi delectatione, aut si tanto odio exarserit in inimicum, ut mortuum licet, multoties confoderit, aut tale desiderium habuerit, est circumstantia notabiliter aggravans, in confessione necessariò explicanda. Similiter si totà nocte concubuisse cum meretrice, non satis est dicere, semel fornicatus sum, sed tempus exprimendum erit.

ARTICULUS IV.

An poenitens possit, & debeat, propter integritatem suæ confessionis, personam complicitis revelare?

§. I.

Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa statuitur.

67. Certum est primo, quod quando potest sine manifestatione complicitis integra species peccati explicari, ex charitate tenemur personam complicitis non revelare; ut si mulier rem habuit cum Episcopo, non debet circumstantiam Episcopatus explicare, quia hæc non variat speciem peccati, sed sufficit dicere rem, habuisse cum Sacerdote.

68. Certum est secundo, quod si suppetat poenitenti Confessarius, qui complicem non cognoscit, tenetur ipsum adire. Similiter si possit se occultare, & se occultando efficere ne Confessarius veniat in notitiam complicitis, id etiam ex charitate præstare tenetur.

69. Tertio certum est, quod si sit morale periculum Confessorum extra confessionem infamatum complicem, aut aliud grave nocumentum ei illaturum, poenitens non debet illum manifestare, propter integritatem suæ confessionis; si enim ad vitandam propriam infamiam extra confessionem, licitum est poenitenti tacere suum peccatum in confessione, ut articulo secundo ostenditur.

Fhh 2

sum

sum est, multò magis ad vitandum extratribunal penitentiam infamiam proximi, licet complicitis.

70. Hæc sunt certa & indubitata apud Theologos, sed difficultas est, an si poenitens non possit integram sui peccati speciem absque manifestatione complicitis explicare, nec adire alium Confessarium qui complicitem ignoret, & aliunde nullum damnum compliciti timeatur ex malitia vel imprudentia Confessoris, an possit & teneatur poenitens illum in confessione revelare, non obstante illius infamia apud Confessorem, quæ sequitur per se ex manifestatione talis peccati?

Partem negantem tenent Marfilus, Armilla, Navarrus, Viguerius, Cano, Petrus de Ledesma, & Gregorius de Valentia; quamvis Cano limitet suam sententiam extra casum mortis, & existimet licitum esse poenitenti in mortis articulo, propter integritatem suæ confessionis, personam complicitis revelare; quia tunc (inquit) debet socius criminis dispendium famæ pati, pro salute poenitentis. Sententia tamen affirmans communis est apud Theologos tam domesticos quam extraneos, eique apertè favet D. Bernardus opusculo de Formis honestæ vitæ versùs finem, ubi hæc scribit: *De nullo prorsus finistrè loquari, quantumcumque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione, & hoc ubi non potes aliter manifestare peccatum tuum.*

Dico igitur, quando poenitens aliter suum peccatum explicare non potest, quàm personam complicitis revelando, potest, imò & tenetur, ob integritatem suæ confessionis, personam complicitis indirectè manifestare.

71. Prima pars probatur primò: Quisquid licitè potest uti jure suo, querendo propriam utilitatem corporis aut animi, etiam si inde sequatur incommodum proximi, ut patet in muliere se decenter juxta statum suum ornante, ex quo ornatu sequitur amor inordinatus in juvene illam conspiciente; ipsa enim non tenetur hunc deferere ornatum, sicut nec attenuare pulchritudinem naturalem, quæ multò magis incitativa est, nec recudi domo, ne ab illo juvene videatur. Item licitum est contrahenti cum Gentili, ad validitatem contractus, juramentum petere, licet inde sequatur proximi perjurium. Licitum etiam est, ad defensionem propriæ vitæ, facere aliquid ex quo indirectè sequatur mors alterius: Sed poenitens habet jus ad faciendam integram confessionem, & consulendum suæ salutis spirituali: Ergo potest personam complicitis indirectè manifestare, quando ob integritatem suæ confessionis id necessarium est, tametsi ex tali manifestatione sequatur aliqua infamatio complicitis apud Confessarium: præsertim, cum talis infamia sit parvi momenti, & crimen complicitis uni soli homini reveletur, qui locum Dei tenet, & æquè tenetur peccatum complicitis sub sigillo servare, sicut peccatum poenitentis.

72. Confirmatur: Potest poenitens manifestare complicitem, etiam extra confessionem, propter utilitatem ipsius complicitis, puta ad correctionem & emendationem ejus, ut fatetur Adversarius: Ergo cum poenitens magis teneatur propriam quàm complicitis utilitatem procurare, a fortiori potest propter propriam utilitatem spiritualem, & ob integritatem suæ confessionis, personam complicitis in confessione revelare.

73. Probatur secundò eadem pars: Jus accusandi aliquem de aliquo delicto, est sufficiens causa indicandi personam complicitis ejus, si aliter non

A possit accusari: Sed in foro poenitentia poenitens habet jus se integrè accusandi: Ergo & manifestandi complicitem, si aliter non possit sepius integrè accusare.

Confirmatur: Qui voluntarie se facit locum alicujus criminis, voluntarie etiam se facit quantum in ipso est, cognitioni Judicis de tali crimine, quia voluntarie se facit circumstantiam talis delicti: Ergo si crimen non possit cognoscere in judicio, absque cognitione & manifestatione talis circumstantiæ, nullam ei irrogat injuriam, qui habens jus manifestandi delictum Judicis, circumstantiam illam ipsi declarat.

B Ex his probata manet secunda pars conclusionis, nempe quod poenitens tenetur ad integritatem suæ confessionis personam complicitis revelare: cum enim præceptum de integritate confessionis per se obliget, tenetur poenitens ad illud implendum, quando id ei licitum est, nec ex alio majori præcepto, ab ejus implendone prohibetur: Ergo si licitè potest personam complicitis revelare, quando ob integritatem suæ confessionis id necessarium est, quando non potest aliter Confessario manifestare delictum suum, ad id præcepto divino tenetur.

Confirmatur: Præceptum integritatis confessionis obligat ad confitenda peccata, etiam turpissima, non obstante pudore & verecundia, ac detrimento famæ propriæ apud ipsum Confessarium subeunda: Ergo a fortiori obligat ad ea manifestanda, etiam cum periculo famæ alienæ, si sine illa non potest poenitens suum peccatum integrè explicare. Consequentia videtur manifestata, quia plus requiritur ad obligandum aliquem ut seipsum infamet, quàm ut alienum crimen manifestet, cum ex charitate magis teneatur vitare propriam infamiam, quàm alienam.

Potest etiam eadem pars conclusionis probari ex duobus inconvenientibus quæ sequuntur ex adversa sententia. Si enim poenitens non tenetur personam complicitis revelare in confessione, quando aliter peccatum suum explicare non potest, inde possent pravi homines occasionem habere gravissima crimina perpetrandi, cogentes quod uterque ratione alterius non teneatur crimen suum confiteri. Sequeretur etiam, cum obligari conjugatos ad peccata confitenda, quæ in abusu matrimonii committuntur, quandovisque est Confessori notus, subindeque non possent peccata illa à Prælato reservari, quod est manifestæ relaxatio hujus Sacramenti.

§. II.

Solvuntur Objectiones.

E Objectiones primò: Poenitens ob integritatem suæ confessionis non potest infamare proximum apud Confessarium: At non potest ipsius revelare peccatum complicitis, absque gravi infamatione illius: Ergo poenitens non potest ob integritatem suæ confessionis peccatum complicitis revelare. Major est certa, nam ubi concurrunt duo præcepta, executio majoris præcedenda est minori: majus autem & urgentius est præceptum de servanda famæ proximi, cum sit juris divini naturalis, quàm de integritate confessionis, quæ est solum juris divini positivi. Minor etiam ex eo videtur manifesta, quod poenitens non potest peccatum complicitis Confessori manifestare, nisi ipse Confessarius forte primum

vum conceptum de tali complice, praesertim si peccatum complicitis sit turpe, ut incestus sororis, vel matris.

78. Confirmatur primò. Si poenitens cognosceret Confessorem revelaturum esse socium criminis, etiam uni duntaxat personæ, deberet suum crimen non confiteri; Ergo tenetur similiter Confessario ipsi reticere illud crimen; non enim minoris est momenti bona opinio proximi apud meum Confessarium, quam apud alium.

79. Confirmatur secundò. Ideo infamatio sui ipsius apud Confessarium, & alia confessionis incommoda, nempe magna verecundia quam patior in illa, non sufficit ad me excusandum ab integritate confessionis, quia talia incommoda mea abundè compensantur ex fructu copiosissimo Sacramenti quem recipio, vel recipere possum; Sed infamatio proximi apud Confessarium in dicto casu, nullo fructu compensatur: Ergo non est licita in confessione.

80. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, revelatio enim peccati complicitis in confessione, non est detractio ipsius, sive infamatio, nisi materialiter, ut colligitur ex Dⁱ Thoma 2. 2. quæst. 7. art. 2. ubi sic ait: *Contingit quandoque quod aliquis dicat aliqua verba per quæ diminuitur fama alicujus, non hoc intendens, sed aliquid aliud: hoc autem non est detractio per se & formaliter loquendo, sed solum materialiter, & quasi per accidens. Et si quidem verba per quæ fama alterius diminuitur, proferat aliquis propter aliquod bonum vel necessarium, debitis circumstantiis observatis non est peccatum, nec potest dici detractio.* Cum ergo revelatio complicitis in confessione, non fiat animo infamandi ipsum, & poenitens solum intendat uti jure quod habet ad seipsum integrè accusandum in confessione, hæc quæ integritas accusationis sui ipsius in tribunali poenitentiae, & jus ad illam, non minùs sit rationabilis causa declarandi peccatum occultum complicitis, quam jus accusandi alium in foro externo, sit causa sufficiens ad eum accusandum, cum manifestatione complicitis, si nequeat aliter integra & sufficiens de ipso accusatio formari; hinc fit quod talis revelatio complicitis in confessione, non sit detractio de illo, aut ejus infamatio, nisi materialiter; sicut nec, juxta Adversarios, est detractio vel infamatio, quando manifestatur persona complicitis propter ipsius utilitatem. Unde

81. Ad primam confirmationem, concessa Antecedente, nego consequentiam & paritatem nam revelatio complicitis extra confessionem, non est sicut ea quæ fit in confessione, necessaria ad integritatem confessionis, nec per consequens sufficiens ratio, ut non sit detractio vel infamatio formalis, sed tantum materialis, sicut ea quæ fit in ipso poenitentiae tribunali.

82. Ad secundam confirmationem, nego Majorem; si enim vera esset, sequeretur ex ea poenitentem teneri ad declarandum suum peccatum in confessione, etiam quando timet rationabiliter quod Confessarius ipsum alteri revelabit; tale enim etiam incommodum abundè compensaretur ex fructu copiosissimo gratiæ Sacramentalis quæ reciperet, cum hæc sit majus bonum, quam quod cumque nocumentum quod potest sequi ex tali revelatione sui criminis quam alteri à Confessario faciendam timet. Ratio ergo vera ob quam tenetur poenitens integrè confiteri, etiam si ex hoc sequatur infamia ejus apud Confessorem,

A est quia committendo tale crimen, eo ipso voluntariè se subdidit cognitioni iudicii, circa ipsum in tribunali poenitentiae exercendi; & Sacerdos tanquam Jdex habet jus cognoscendi tale delictum in illo foro. Hæc autem ratio idem omnino concludit etià de declaratione complicitis, ut pote qui voluntariè se faciendo socium poenitentis in crimine, voluntariè etiam se subdidit cognitioni talis iudicii, si ad perfectionem ejus, & sententiæ in eo ferendæ, necessaria sit ejus manifestatio; sicut est necessaria, quando absque ea non potest poenitens integrè confiteri.

83. Obijcies secundo cum Petro de Ledelma: Peccatorum confessio non est absolute ad salutem necessaria, nisi præsupposita ordinatione divinâ: At credibile non est Christum Dominum voluisse hoc Sacramento instituere, cum dispendio ac detrimento famæ proximi. & obligasse poenitentem ad manifestandum Confessario crimen complicitis, quando absque ejus revelatione non potest integrè confiteri; Ergo poenitens, ob integritatem materialem suæ confessionis, non tenetur, inò nec licet potest, personam complicitis revelare.

84. Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, cum enim Christus institueret Sacramentum poenitentiae per modum veri iudicii, sicut in vero iudicio habet accusator jus declarandi crimen alterius, etiam cum declaratione complicitis ejus, quando ipsa est necessaria ad perfectionem iudicii, licet ex tali declaratione sequatur detractio complicitis in fama: ita in tribunali poenitentiae, poenitens qui est accusator sui ipsius, habet jus declarandi in confessione socium sui criminis, si talis declaratio sit necessaria ad integritatem confessionis iudicialis, licet ex ea sequatur aliquod damnum in fama complicitis apud Confessarium.

85. Obijcies tertio. Si poenitens teneatur personam complicitis revelare, ut ejus confessio sit integra, sequitur integritatem confessionis obligare similiter ad detegendum peccatum alterius, quamvis non complicitis, si sine illo non potest poenitens suum peccatum Confessori explicare, puta si pharmacum dedit matri ad extinguendam prole conceptam ex adulterio: At hoc dici nequit, cum poenitens nullum habeat jus ad revelandum peccatum in ejus societate non commissum. Ergo &c.

86. Respondent aliqui concedendo sequelam, existimant enim non modò revelandam esse personam complicitis, sed etiam quamcunque aliam, quando aliter peccati species explicari non potest. Addunt tamen majorem in tali casu adhibendam esse cautelam, majoremque sollicitudinem querendi Confessarium cui talis persona non sit nota.

87. Melius tamen responderetur, juxta principia supra statuta, negando sequelam; per crimen enim quod proximus non commisit, non se subdidit sicut complex perfectioni iudicii in foro poenitentiae circa me exercendo; neque Confessarius ex eo quod habeat jus cognoscendi meum delictum, habet etiam jus cognoscendi delictum proximi, quod non est circumstantia mei delicti, sicut crimen complicitis, quamvis per accidens ex declaratione unius sequatur declaratio alterius.

88. Ex hoc intelliges, quod si frater commisit incestum cum sorore volente & consentiente, tenetur in confessione circumstantiam illam explicare, & sororis personam & crimen Confessario detegere; secus verò si forori non consentienti stuprum intulit; quia in primo casu soror est complex criminis, & socius flagitii, non verò in secundo; unde tunc sufficit quod frater qui per vim sororem

constupravit, dicat se commisisse incestum cum A
consanguinea, eique vim intulisse, non expli-
cando circumstantiam personæ.

89. Inferes etiam ex dictis, non licere ad expli-
candum peccatum veniale, vel etiam mortale, ali-
as rite confessum, revelare in confessione pec-
catum complicitis: nam institutio & præceptum
confessionis, non obligat ad explicanda integrè
peccata venialia, aut mortalia, alias rite confessa.
Unde si soror venialiter peccasset in non satis
promptè resistendo violentiæ fratris, stuprum in-
ferre parantis, non liceret ei in confessione fra-
tris personam & crimen detegere, sed teneretur
circumstantiam personæ occultare, quia in eo casu
non haberet jus, ob integritatem suæ confessio-
nis, ad revelandum peccatum fratris, cum pec-
cata venialia, eorumque circumstantiæ, non debe-
ant necessariò in confessione declarari.

90. Tertiò ex dictis colligitur, quod si quis sine
necessitate & causa rationabili, complicitis crimen
detexit Confessario, tenetur illi famam restituere,
si possit, quia peccavit contra justitiam; diffi-
cillimum tamen est in eo casu posse restituere; un-
de penitentes valde cauti & prudentes in con-
fessione esse debent, & diligenter cavere, ne sine
necessitate personam & peccatum complicitis
Confessario manifestent; in quo multi ex igno-
rantia vel inconsideratione sæpè delinquant, un-
de à Confessore monendi & instruendi sunt.

91. Ad complementum hujus disputationis scien-
dum est, præter casus supra explicatos, adhuc ef-
se duos in quibus penitens ab integritate con-
fessionis excusatur. Primus est, si Sacerdos ipse
qui confitetur, non potest suum peccatum ape-
rire, nisi violando sigillum confessionis, seu dete-
gendo peccatum penitentis sibi ante confessi.
Tunc enim hoc peccatum reticendum esse do-
cent communiter Theologi & Casuistæ; quia
nimirum Christus in favorem penitentis, voluit
Sacramentum penitentiae tam stricto sigillo
munire, ut sine penitentis consensu non possit
ulla de causa Confessarius uti notitiâ peccatorum
in confessione habitæ; unde licet integritas con-
fessionis sit de jure divino, sicut observatio sigil-
li confessionis, necessitas tamen servandi sigil-
lum, major est, quam necessitas integrè confi-
tendi.

Secundus est, quando penitens habet aliqua
peccata superiori reservata, nam tunc superior
potest, urgenti gravi aliqua causâ, auditis refer-
vatis, ab illis tantum penitentem absolvere, &
reliqua non reservanda inferiori Sacerdoti com-
mittere. Id tamen non potest sine urgenti cau-
sâ; quia cum integritas confessionis sit de jure
divino absque urgente & gravi aliqua causâ,
confessio dimidiari non debet. In eo autem casu
non tenetur penitens peccata reservata à qui-
bus à superiori absolutus est, rursus inferiori con-
fiteri, cum nulla sit obligatio bis confitendi ea
peccata à quibus penitens rite absolutus
est, nisi in casibus supra disp. 8.

art. 2. in fine expressis.

* *
*

DISPUTATIO XI

De Sigillo Confessionis.

Ad quest. 11. Supplementi.

Qua docet S. Thomas quest. 10. de
señibus confessionis, penitentia
de effectibus penitentiae. Unde
hac prætermisâ questione, quæ
sigillo confessionis quæst. 11. tradit, breviter hic
exponenda sunt.

ARTICULUS PRIMUS

*Verum Confessarius in omni casu tenetur
servare sigillum confessionis?*

§. 1.

*Quibusdam præmissis, conclusio affirmativa
statuatur.*

Supponendum est ex D. Thom. hic art. 3. si
solum confessionis nihil aliud esse quam obli-
gationem quâ Confessarius astringitur ad servan-
dum secretum de iis rebus quæ audit in con-
fessione: hæc enim obligatio metaphoricè sigil-
lum appellatur, quia sicut secreta sigillo obli-
gati solent, ne aliis palam fiant; ita arcana pecca-
torum Confessori concedita, perpetuè silentio
ge, quasi sacro & inviolabili sigillo, obligati
debent, ne aliis revelentur.

Supponendum est secundo, ex triplici præ-
cepto Confessorem obligari ad servandum secretum
confessionis, naturali, divino, & humano. Na-
turali, quia est de jure naturæ servare communi
sibi alterius depositum, tueri famam proximi, &
non facere alteri, quod tibi fieri non vis. Divi-
no, quia confessio, quæ est juris divini, sine le-
ge non esset nimis odiosa, & consequenter impos-
sibilis moraliter; qui autem præcipit finem, cen-
setur etiam præcipere illa sine quibus conservari
finis nequit. Humano denique, quia Ecclesiæ
strictissime præcipit sigillum confessionis servari, &
penis gravissimis ejus violatores puniri, ut patet
ex canone Sacerdos de Penitentia dist. 4. ubi sta-
uitur adversus infractores hujus sigilli pena de-
positionis, & perpetuæ peregrinationis. Quia
tamen rarò sanctificantur, qui frequentè pe-
grinantur, ut communiter dicitur, in epistola.

E Omnis viri & quæ sexus statuatur eadem pena de-
positionis; & loco peregrinationis in claustris
tuta in monasterio arcto. Sic enim in eo dicitur.
Caveat autem omnino Sacerdos, ne verbo, aut signo,
aut aliquo quovis modo, aliquatenus proditor sit
sed si prudentiori consilio indiget, illud ab aliquo
in penitentiali iudicio sibi detectum præsumptivo
velare, non solum à Sacerdotali officio deponendum
cernimus, verum etiam ad agendam perpetuam
penitentiam, in arctum monasterium detrahendum.

Ex his intelliges, quod licet ille qui depositum
rem depositam in loco sacro, vel in arcto pec-
cat non solum peccato furti, sed etiam peccato
sacrilegii, contra religionem & reverentiam loci